

CREAVIT. LXX *ποίησεν* fecit, improprie pro *ἔκτισεν*, vt recte Iosephus. Tria sunt verba Hebraeis cognatae significationis: *ברא* *creare* seu condere ex nihilo, vel ex indisposito *יצר* *figere* ex materia, seu materiae formam inducere, vnde *יצר* *figulus*: & *עשה* quod latius significat operari quemuis actum: vt Amos 3 6. *An est malum in ciuitate, quod Iehoua non fecit?* Duo posteriora etiam creaturarum sunt: primum solius Dei: Cui coniunctim omnia tribuuntur Ies. 43. 7. *Creauit eum ad gloriam meam: formauit eum: etiam feci eum.* I *עשה* cum hic ad totum creationis actum extendatur, etiam alia duo in se includit: quia Deus hominem formauit ex limo, foeminae ex costa viri. Aliqui *ברא* volunt constructiue positum, pro gerundio *ברוא*, quia putant *בראשית* nunquam in Scriptura poni absolute, sed semper in regimine vt sit sensus: *In principio creandi*, hoc est, cum crearet Deus caelum & terram, *Terra erat in manu eius*. Sed etiam absolute reperitur. Ies. 46 10. Deut 33 27. & obstat copula in secundo versu.

DEVS] ad verbum: *Dii creauit*. Hebraei Deum vocant nomine plurali *אלהים*, & construunt cum verbo singulari: quia Deus vnus: de quo in explanatione textus. Habent & *אלה* singulare quod quinquies tantum reperitur. Psal 114. 7. Iob 12 4 & 16. 2. Hab. 1. 11 & 33. Est factum a fortitudine: *אל* *fortitudo*: inde *אל* *fortis*, *Deus*, quia est omnipotens, aliqui deriuant ab *אלה* *iurare*: quia per Deum iuratur: Sed Scriptura repugnat, quae nomen *אלהים* non raro tribuit ministris potentiae Dei angelis & magistratibus: Circumstantiae vero locorum differentiam significationis indicant.

COELVM] Hebr. *שמים* vel *שמיים*: *השמים* *hos caelos*, cael et singulari. Vocant caelum numero duali: quia duae sunt caeli regiones principales aethera & elementaris. Compositum volunt ex *שמים* *ibi* & *מים* *aqua*: de quo postea, quia Moses mentionem faciet aquarum supra & infra caelos. Alii ab *שמים* & *מים* *ignis & aqua*, quasi ex ignea & aquea materia caelum constet. Sed prior Etymologia vicinior est historiae Moysi.

ET TERRAM] Hebr. *אדמה* *hanc terram*, quam nempe incolimus *ארץ* *terra* a *רץ* *currere*: quia caelum perpetuo rotatu circa terram currit: vel a *רץ* *pramere, terrere*: quia teritur pedibus.

EXPLANATIO.



OS ES scriptor sapientissimus initio memorabili aphorismo proponit totius historiae suae summam, quam deinceps singularim exponit, vt si quis diceret: Talis artifex aedificauit hanc domum, postea subderet, primum posuit fundamenta. Postea parietes distinxit, tectum imposuit, denique ornatu addidit &c. Ita Moses compendio permittit vniuersum opus circa reru genesin. q̄ Deus certo principio creauerit hoc caelum & hanc terram, id est, totum hoc vniuersum, postea *אשר עשה משה* quomodo & ordine qualiaq; singula fecerit, totumq; opus exornauerit diligentius enarrat. Quatuor vero totidem verbis breuissime complectitur: quando, quomodo, quis, quid existere fecerit: quae singula aliquanto fusius explicanda sunt.

In Principio.

Ex prima dictione nascitur prima quaestio: *Quando Deus creauerit caelum & terram*: seu, quod sit, & quando fuerit illud PRINCIPIVM, in quo facta est crea-

atio caeli & terrae. Huius igitur quaestio- nis explicatio, primam dictionem *ברשית* in primo aphorismo Moysi illustrabit.

Quam varia veteres de hoc principio sint philosophati, longum foret comemorare. *Basilius* septem, *Ambrosius* decem interpretationes affert. Sed ppe omnibus placuit principium mysticum, quod est *Christus*, quasi dixerit Moyses: *In Principio*, hoc est, in Filio, seu per Filium Deus creauit caelum & terram. Sententia quidem pia & vera: Pater enim omnia creauit per Filium: Ioh. 1. 3. Hebr. 1. 2. Col. 1. 16. &c. Sed non de mente Scriptoris, cui propositum est hac voce non authorem, sed exordium mundi indicare, & errores Philosophorum de eius aeternitate, vel ortu casuali excludere: *Mercerus* existimat, nostros hanc sententiam hausisse ex Thargu Ierufoly, quod vertit *בחכמתה* *in sapientia*. Sapientia vero est Patris aeternus Filius Prou. 8. 25. & sic etiam Augustinus cont. Manich. 1. 1. cap. 2. in Gen. Sed forte pauci Thargum aspexerunt. Omnes vero pro hac sententia afferunt dictum Christi Ioh. 8. 25. *אני אֵלֶיךָ וְאַתָּה אֵלֶיךָ*

Ambros. he- xam. l. 1. c. 4. August. l. 11. cap. 31. de G. Dei. Et Quast. 3. ad Dulcis. Et de gene. ad lit. l. 1. c. 6. Et cont. ad- uers leg. & proph. lib. 1. cap. 2. Eucher. in- Gen. lib. 1. cap. 1.

Et...

Princip...